



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput LXIII. De Miraculo circa spoliatorem quendam facto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

illud, quod factum erat, ei referebant, qui dum oculorum visum ad fossas Castrî flecterët, viderëtque eas sanguine redundare, timere cepit vehementer, & non solum de transgressu dolens, sed etsi tale horrendum visu circa Castrum suum immutatum permaneret, confusione dignus propter dictum spoliolum coram omni populo notaretur: sed unus de Ministris suis sano consilio præventus Domino suo loquitur In hæc verba: *Peramande Domicelle, si à præsentî confusione, qua dominationem involvit, penitus voluerit liberari, consultum videtur, ut opinor, quod ad persolvendas vaccas, quas à Monasterio B. Meinulphi rapuit Dominatio vestra, statim votum faciat*; qui miserijs undique circumcinctus feriosô animô votum, quod consultum fuit, fecit absque mora: quô factô sanguinea aqua, qua fossæ Castrî replebantur pristinam speciem aquæ recepit. At Domicellus sanguinem in aquam nunc versum cernens, seque à populari confusione liberatum, prædicti Monasterij Regulares cum gaudio ad se vocans ipsis, prout justum erat, de rapina satisfecit. Hic attendant universi, quod prædictas Militaris ex eo, quod Monasterium B. MEINULPHI spoliaverat, licet de eodem spolio satisfecerit, tantâ tamen confusionis plagâ percussus fuit in hoc mundo; quanta ergo putas confusione plectendus erit, qui spoliator extitit hujus Monasterij nec in hac vita satisfecit, cum hujus Monasterij invasores, & raptores vindictam non evadant.

C A P U T LXIII.

De Miraculo circa spoliatorem quendam facto.

Quidam raptores supervenientes quasdam vaccas Monasterij B. MEINULPHI circa suum grangium *Gellinghausen* nuncupatum in pascuis absque pastore circumvagantes invenerunt, has nullo obistente per modum rapinæ auferentes ad oppidum *Geseke* adduxerunt. Postquam verò manifestum factum fuit, supra dictas vaccas Monasterio B. MEINULPHI fore, nullus ausus erat mittere manus, ut mactarentur; tandem unus, qui frivolus & præsumptuosus videbatur, DEI timore postposito accessit intrepidus, vaccasque interfecit. Quô factô viribus suis in tantum destitutus fuit, ut le-

O

tum

¶ Cum peteret ægritudinis, ibique ad breve temporis spatium decumbens in talem incidit paupertatem, ut uxor ejus ad portam supradicti Monasterij veniens culpam viri sui detexerit, eleemosynamque sibi & viro suo, justo DEI judicio depauperato, à portario ministrari rogaverit.

CAPUT LXIV.

De aliò spoliatore.

Militaris quidam de Castro *Stormede* propè oppidum *Geseke* situateo Monasterium B. MEINULPHI aliquibus suis vaccis de Grangio suo *Graffen* spoliavit, quo facto corporali sanitate privatus hydropicum morbum incidit, ac per illum vitam suam satis miserabiliter terminavit.

CAPUT LXV.

De septimo Priore Monasterij B. Meinulphi.

Supradicto Venerabili Priore in vita sua existente, cum jam præsenectute, ac multis sollicitudinibus, quibus se in vinea Domini multipliciter fatigaverat, ad amplius regendum inhabilis factus esset, humiliter petijt, ut absolutionem à suo Prioratu recipere mereretur. Quò factò, sicut gloriosus Hieronymus devotum Eusebium unum ex discipulis suis ad regendum suos Fratres post se dereliquit, ita Domino DEO disponente Frater *Arnoldus de Holde* humilis ac DEO devotus unus ex supra dicti Patris discipulis ei in regimine successit, qui dum electus, & confirmatus fuit, & à foris videlicet à Prioratu Domûs S. Dyonisij in *Mollenbeke* ritè & legitime vocatus, jam jamque B. MEINULPHI Monasterium ingrederetur, & Venerabilis prædictus Prior præcessor suus me præsentè id audiret, quamquam senex, & omnino debilis extiterit, debilitate tamen suâ neglecta velut de gravi somno evigilans concito gradu unà cum devoto Fratre *Joanne de Lippia* gressus ejus observante novo Priori occurre.

rc